

*scholis Catholicis, que diversimode a Thomistis Divinae gratiae efficaciam explicant.*

XX. Hac omnia, ut paci Ecclesiae, & tranquillitati Fidelium confulerent, post Constitutionem *Unigenitus* damnantem propositiones Quaesnelli, fecere Pontifices. Idem, & pejus virus evomentis malignantes, si definiatur ex Cathedra sententia de Immaculata Conceptione Virginis. Quis cohibebit eorum linguas, ne dicant, SS. Patres, quorum sententiis replentur Tractatus Cardinalis de Turrecremata, & Opusculum Cardinalis Cajetani, esse proscriptos? ne dicant, sententiam Divi Thomae, qui 3. p. q. 27. art. 2. ad secundum explicitè dicit, quod *Beata Virgo contraxit originale peccatum, sed a Deo fuit mundata, antequam ex utero nasceretur*, esse definitioni Ecclesiae contrariam? ne dicant, Tractatum, & Opusculum Cardinalium de Turrecremata, & Cajetani, in quibus controversia Mysterii Concilio exponitur, & responderetur rationibus pro parte adversa exhibitis, esse prohibitos? ne tandem dicant, Ordinem Sacrum Predicatorum, qui vivit, & Deo dante in aeternum vivet sub patrocinio speciali Beatissimae Virginis, tenuisse sententiam justo illi honori contrariam? Hac impune profecto dicent, qui non bene sentiunt de veritate, qui invidio corde aliorum bona prospiciunt.

Quod similia, immo & majora convicia patientur viri boni a turbulentis hominibus, quam susceperunt a Refractoriis praetextu Constitutionis *Unigenitus*, palam ostenditur ex eo, quod per istam damnantur errores aliunde damnati, & in Constitutione Pii V. contra Bajanos, & in illa Innocentii X. contra Jansenium, qui habentur ut fontes, a quibus emanarunt errores Quaesnelli. Quare per Constitutionem *Unigenitus* damnatur, quod alias in aliis Constitutionibus damnatum est. At in Constitutione, quae petitur pro definiendo ex Cathedra Conceptionis Mysterio, damnabitur sententia, quae hucusque censurari non poterat, immo veritum erat illam censura inuri; sententia, quae a Patribus, a Theologis, a viris pietate, & doctrina illustribus impune patrocinata fuit; sententia, quam examinare neglexerunt Concilia, de-